# ALPHABETUM

## GRANDONICO - MALABARICUM

*SIVE*

## SAMSCRUDONICUM.






ROMAE MDCCLXXII.

Typis Sac. Congregationis de Propag. Fide.

---

*Praesidum Facultate.*

CLEMENTI . XIIII . P . O . M

TVTORI . FIDEI . ET . CVSTODI . RELIGIONIS

CVIVS . VIRTVTE . FELICITATE . IVSTITIA

SOLLICITVDO . OMNIVM . ECCLESIARVM

PROVIDE . ET . SANCTE . SVSTINETVR

ALPHABETVM . GRANDONICVM . MALABARICVM

SEV . SAMSCRVDONICVM

QVOD . AD . LATIVS . LONGIVSQVE . PROFERENDVM

CHRISTI . EVANGELIVM . INTER . INDICAS . GENTES

NVNC . PRIMVM . IN . TYPOGRAPHIA . SACR. CONGR

DE . PROPAGANDA . FIDE

NGENTI. SVMPTV. SCALPTVM. CONFLATVM ET. EXCVSVM. EST

STEPHANVS . BORGIA

A . SECRETIS . SS . CONGREGATIONIS

OB . MERITORVM . CVMVLVM

ET . RARVM . SVMMI . SACERDOTII . EXEMPLAR

NDVLGENTISSIMO . AC . CLEMENTISSIMO . PRINCIPI

ANIMO . LIBENS

OFFERT . COMMENDAT

# LECTORI
# ERUDITO

IOHANNES CHRISTOPHORUS AMADUTIUS
Praeses Typographiae Sacrae Congregationis
de Propaganda Fide.

I. *NOvum prorsus peregrini Idiomatis Alphabetum nunc exhibemus, ut hisce veluti exoticarum lautitiarum primitiis Christianae Religioni, tum Litterato Orbi litare nos videamur. Alphabetum nempe Grandonico-Malabaricum, seu Samscrudonicum hoc est, unum scilicet ex tribus, quae in vastissima Malabarensi Regione usurpantur, quae quidem a Promontorio Comorino ad Canarense Regnum pertingit, & in qua quatuor Dynastae summas tenent, idest Cocini, Samorini, seu Calicuti, Travancori, & Canarai; quemadmodum & quatuor Religiones ibidem coluntur, Ethnica nimirum, Nestoriana, Iacobitica, & Catholica. Commode tres has Linguas accurate distinguit Clemens Peanius Alexandrinus, Carmelita Excalceatus Provinciae Pedemontanae, qui per plures annos Apostolicae Missioni Verapolensi, quae sui Ordinis Alumnis centum, & amplius abhinc annis concredita est, operam dedit: quique Romam redux & sacri muneris rationem reddere, & nobis ad huius Linguae instrumenta typographica scite paranda dux, & magister optimus opportune esse potuit, ut proinde eius etiam diligentia,*

*ac eruditionis copia, qua rem hanc & in Prologo, & in ceteris Alphabeti partibus pertractavit, nobis eadem vel repetendi, vel uberius etiam tradendi otium nunc fecerit, ac pauca alia dumtaxat nobis praefanda reliquerit. Quare eodem sedulo Operas dirigente, huius Idiomatis elaborati typi, & characteres conflati nunc primum sunt in hac Typographiae nostrae officina regio plane sumptu, & apparatu; quandoquidem cum LI. radicales litterae censeantur, XVI. nempe vocales, & XXXV. consonantes, ex quibus dein aliae, veluti secundariae procedunt, quas compositas, seu potius litterarum nexus appellaveris, eo sine processit characterum, seu typorum copia, ut MCXXVIII. numerentur, atque ex ea non leve etiam Typographis in perquirendis, ac simul etiam nectendis singulis harum litterarum formis confletur negotium.*

*II. Alia sane Indicarum Linguarum Alphabeta ex Typographia Orphanotrophei, quod Halae Magdeburgicae ad exemplum huius nostrae supra omnem imitationem Congregationis, Collegii, & Typographiae conditum pro Heterodoxae Religionis incremento, & propagatione iamdiu nos prodiisse vidimus; ac inter cetera Telugicae, & Tamulicae Linguae praesertim nonnulla specimina innotuerunt, cura Beniamini Scultzii, qui Catechismum, & alia Ethices Opuscula hisce conscripta linguis vulgavit anno CIↃIↃCCXLVI., quemadmodum & Tamulicae Linguae Grammaticae Institutiones, auctore Bartholomaeo Ziegenbalgio Regis*

*gis Daniae apud Indos Orientales Missionario, antea excusae fuerant anno* CIↃIↃCCXVI. *Harum sane Linguarum Alphabeta nos etiam parare contendimus, ut per ea ceterorum, quae obtinemus, characterum ampla supellex, quae iamdiu personato Dorotheo Asciano, seu Matthiae Zimermannio* (1) *invidiam creavit, plenius augeatur. Verumtamen id honoris nobis nunc factum gratulamur, ut ad verae Religionis amplificationem, & ad Romanae Ecclesiae decus, hortante potissimum hac beatitudine temporum, quae nobis CLEMENTIS XIV. P. O. M. providentia, qua regimur, obtigisse gaudemus, huius Linguae formas, ac Orthodoxae Fidei placita, & rudimenta hisce consignata typis, quae propediem in lucem emittentur, primi omnino protulisse gloriaremur. Innotuerant sane aliqua ex parte Litterato Orbi huiusmodi Grandonico-Malabarici, seu Samscrudonici characteres, quibus scilicet Herbarum nomina designata videri possunt in Horto Indico Malabarico, quod opus per Henricum Van Rheedeium Malabarici Regni Gubernatorem, & Ioh. Casearium Ecclesiasten in Coccino cum notis, & commentariis Arnoldi Syenii, & Ioh. Commelinii editum est Amstelodami* IX. *Voluminibus instructum anno*



(1) *Montes Pietatis Romanenses*; in Tractatu sane calumnioso: *de Nervis rerum gerendarum Romanae Ecclesiae*; *Lipsiae* 1670. §. CI. *pag.* 522., *& seqq.*

*no* CIↃIↃCLXXVIII. (1), *& In quo nempe Regni Malabarici Plantae rariores Latinis, Malabaricis, Arabicis, & Brammhanicis characteribus, nominibusque expressae, & una cum floribus, fructibus, & seminibus delineatae exhibentur. Verum nec singuli characteres, nec qui ibidem habentur, typographicis formis expressi conspiciuntur, sed aere incisi in Tabulis prostant, quemadmodum & iisdem characteribus in lignea Tabula expressis habetur testimonium Emmanuelis Carnerii Interpretis Societatis Indico-Belgicae, ut & vulgares Malabarico-Tamulici insculpti deprehenduntur in Tabula pariter lignea, quam scilicet in Prologo* (2) *dedit Peanius noster. Ceterum Carolus Mortonius Medicus, & Societatis Regiae Londinensis a Secretis in Eduardi Bernardii Oxoniensis* Orbis Eruditi Litteratura (3), *seu in Tabula* XXVII. *Alphabetorum, quam a se restauratam, & supplementis quibusdam auctam charta maxima rursus edidit anno* CIↃIↃCCLIX., *commode col.* VII. *aliquot Litteras, quae Malabaricae inscribuntur, exhibuit, sed quae Tamulicae potius sunt, ut intuenti patebit. Desideratur quapropter Alphabetum hoc ipsum in ampla illa Alphabetorum Collectione, quam, adscitis quinetiam Orationibus Dominicalibus ducentis litterarum, & idio-*

---

(1) *Typis Ioh. Van Samerenz in fol.*
(2) §. XII. *pag.* 12.
(3) *Edit. ann.* 1689.

*& idiomatum generibus expressis, edidit Lipsiae anno* CIↃIↃCCXLVIII. *typis Gott. Frid. Rumssii* (1). *Ioh. Frid. Fritzius, cui succenturiatus accessit Beniaminus Scultzius, quem supra laudavimus; Quandoquidem Tamulicae litterae sunt, quae ibidem pro Malabaricis proponuntur. Deest postremo etiam in Magno Lexico Encyclopedico, ubi idiomatum omnium Alphabeta recensentur, quamquam tamen Grandonicum Alphabetum Brammbanibus sacrum exhibeatur, ac interim aliqua ibidem etiam de Samscrudonico leviter attingantur.*

III. *Quare par fuit, ut de hac Lingua nova, & incognita prorsus nunc paullo fusius tractaretur, quod sane in Prologo accurate peractum a Peanio nostro deprehendes, ubi etiam nonnulla proferuntur, quae ad Grammaticam, cuius edendae stat consilium, pertinere potius videantur. Succedunt Prologo* XI. *Capita, quorum primum est de vocalibus litteris;* II. *de consonis simplicibus;* III. *de consonis compositis;* IV. *de litteris binis, ac ternis compositis;* V. *de aliis consonis duplicibus;* VI. *de litteris finalibus;* VII. *de variis litterarum nexibus;* VIII. *de recta pronunciandi ratione;* IX. *de litteris deficientibus;* X. *est de notis numericis, quas in* VIII. *Tabulas redegit;*

(1) Orientalisch- und Occidentalischer Sprachmeister / &c.

*degit; ac* XI. *tandem succedit, quod Christianam Catechesim pro Tironum exercitatione comprehendit. Adnotat quinetiam Peanius noster ad calcem, inter Malabaritas voces aliquas adesse, quae cum Syriacis, vel Chaldaicis affinitatem hebeant, ut sane habere etiam animadvertit Maturinus Veyssierreius La-Crozius in eius Epistola ad Ioh. Chamberlaynium* (1), *qui putat una cum Religione Christiana Syrorum litteras penetrasse in remotissimas Orientis partes, in Taprobanam nempe Insulam, seu Sielediuam, quam nunc* Ceylan *dicunt, in Dioscoridem, sive Zocotoram, in Malleicam, & Callianam, quae Regiones nunc* Malabar, & Calecut *audiunt, & in quibus etiamnum non pauci ex iis populis Christiani supersunt, qui Syrorum elementis, & idiomate in Liturgiis utuntur. Testis hac de re esse etiam potest MS. Codex, in quo habetur* Ordo baptizandi iuxta ritum Chaldaeorum Syriace, *qui descriptus innuitur iussu Iulii Antonii Sanctorii per Gasparem de Malavar Indum, servum olim, deinde Diaconum, & familiarem Rever. D. Haaman Ignatii olim Patriarchae Iacobit., unum ex Praeceptoribus Linguae Chaldaicae, & Arabicae in Collegio Neophytorum Romae, mense Iulio anno* CIϽIϽLXXX., *qui Codex fuit Salomonis Nigri. Damasci Syriae, Schismatici hominis, qui, emen-*

(1) *Thesaur. Epistolic. La-Crozian. Lipsiae* 1742. *Tom.* III. *Epist.* 42. *pag.* 83., *& seq.*

ementita Romana fide, Cathedram Linguae Syriacae in Archigymnasio Romanae Sapientiae, & Arabicae in Collegio Urbano de Propaganda Fide spatio annorum IV. obtinuit, ut ex vita, quam de se ipso conscripsit (1), manifeste patet, quique dein in Angliam rediit, ac denuo etiam Halam Magdeburgicam petiit, ubi Heterodoxorum operibus ad Religionem spectantibus inserviebat, ut & eiusdem Orphanotropheo Libros suos plures donaverit, qui recensentur in Catalogo Codicum Mss. laudati Orphanotrophei, quem habes in Epistola Theophili Sigefridi Bayerii ad La-Crozium (2). Certe Saeculo VI. litteras Syriacas in Malabarensibus Regionibus una cum Christiana Religione cultas fuisse suadent praesertim, quae Cosmas Aegyptius Monachus, Indopleustes dictus, anno circiter IↃXXXV., imperante Iustiniano, scriptis mandavit (3): Ἐν τῇ Ταπροβάνῃ νήσῳ ἐν τῇ ἐσωτέρᾳ Ἰνδίᾳ, ἔνθα τὸ Ἰνδικὸν πέλαγός ἐστι,

(1) *Memoria Nigriniana, hoc est Salomonis Negri Damasceni vita, olim ab ipsomet conscripta, nunc autem accessionibus quibusdam illustrata &c. Edidit Gottlieb Anastasius Freylinghausen. Halae Salicae impensis Orphanotrophei* 1764. *pag.* 3., & 4.

(2) *Cit. Thesaur. Tom. I. Epist.* 3. *pag.* 19.

(3) *Opinio de Mundo Lib.* III. *pag.* 178., & 179. *Tom.* II. *Collectionis Novae Patrum, & Scriptor. Graecor. per Bernard. de Montfaucon Parisiis* 1706.

ἐστι, καὶ Ἐκκλησία Χριστιανῶν ἐστὶν ἐκεῖ καὶ κληρικοὶ, καὶ πιστοὶ, οὐκ οἶδα δὲ εἰ καὶ περαιτέρω· ὁμοίως, καὶ εἰς τὴν λεγομένην Μαλὲ, ἔνθα τὸ πέπερι γίνεται· καὶ ἐν τῇ Καλλιάνα δὲ τῇ καλουμένῃ, καὶ Ἐπίσκοπός ἐστιν ἀπὸ Περσίδος χειροτονούμενος. ὁμοίως καὶ ἐν τῇ νήσῳ τῇ καλουμένῃ Διοσκορίδους κατὰ τὸ αὐτὸ Ἰνδικὸν πέλαγος, ἔνθα καὶ οἱ παροικοῦντες Ἑλληνιστὶ λαλοῦσι, πάροικοι τῶν Πτολεμαίων τῶν μετὰ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα ὑπαρχόντων, καὶ κληρικοί εἰσιν ἐκ Περσίδος χειροτονούμενοι καὶ πεμπόμενοι ἐν τοῖς αὐτόθι, καὶ Χριστιανῶν πλῆθος.
In Taprobana Insula ad interiorem Indiam, ubi Indicum pelagus exstat, Ecclesia Christianorum habetur, ubi Clerici, & fideles reperiuntur: an ulterius etiam, ignoro. Similiter in Male, ut vocant (*unde Malebarr*), ubi gignitur piper. In Calliana vero (sic nuncupant) Episcopus est, in Perside ordinari solitus. Similiterque in Insula, quae Dioscoridis vocatur, in eodem Mari Indico sita, cuius incolae Graece loquuntur, suntque coloni a Ptolemaeis Alexandri Macedonis successoribus istuc deportati, Clerici reperiuntur, ex Perside, ubi ordinantur, eodem transmissi: ibi etiam Chri-

stia-

stianorum multitudo versatur. *Consule hac de re, quae erudite Montfauconius disserit in Praefatione* (1) *ad ipsam Cosmae Christianam Topographiam. Addit praeterea La-Crozius supra laudatus* (2) *Christianos Malabarenses iis uti litteris, quae Chaldaicis, seu Syriacis antiquis characteribus, qui Estranghelo vulgo dicuntur, respondent, ut ex quibusdam schedis inde allatis, quae in Bibliotheca Regia Berolinensi servantur, se deprehendisse affirmat, & ut etiam patet ex Missali Ms. iisdem Chaldaicis litteris conscripto, quod paucis ab hinc annis Florentius Polonus Episcopus Areopolitanus, & Vicarius Apostolicus in Serra Malabarum Romam misit ad Sacram Congreg. de Prop. Fide, ut eius typis excuderetur.*

IV. *Malabares vero scripta sua metrica potius, quam soluta oratione condere gaudent, ac multi inter eos idcirco omni tempore exstiterunt Poetae, qui historias, & res ad Religionem pertinentes versibus consignarunt, & quidem vario modo. Tria enim metri genera potissimum in eorum Poesi, quam* കവി Cavì *nominant, usuveniunt, unum, quod XIV. pedibus constat, ac* പരുവം Paruvam *dicitur; alterum vero, quod*

(1) *Cap.* III, §. VI. *pag.* X.
(2) *Cit. Tom.* III. *Epist.* 42. *pag.* 82.

quod primum versum ex XVIII. pedibus, secundum ex XII. habet, & கண்ணம் Kánnam vocatur; ac tertium tandem, cuius singuli versus ab Alphabeti litteris inchoantur, & சங்கீர்த்தனம் Sanghirttenam appellatur. Bartholomaeus Ziegenbalgius testatur in eius Epistola ad La-Crozium (1) se iam concinasse Delineationem Ethnicismi Malabarici, quod Opus nondum editum Halae inter Mss. invenitur, & in eius Parte II. totum de Philosophia Caput de Poesi agere affirmat. Nos heic haud inopportunum, neque iniucundum futurum censemus, si fragmentum Poematis de Deipara heic nunc attulerimus, quod nobis Peanius noster communicavit, quodque metro, quod பருவம் Paruvam dicitur, & quo praesertim fabulosae eorum Numinum historiae, bella, & cetera ipsorum gesta conscripta habentur, conceptum est. Ex eo facile etiam quisque deprehendet, qua soni dulcedine carmina hoc idiomate, & hoc metri genere elaborata donentur, quae inest nimirum tribus prioribus syllabis ob harmoniae leges, quae in his potissimum perficiuntur. En illud:

---

(1) Cit. Thesaur. Epist. La-Croz. Tom. I. Epist. 319. pag. 381., & seqq.

ഘാടഭിതങ്കടക്കിന്ത്രും ബന്സ്ത്രങ്ക

ച്ഛ്രേഷ്ഠദേവം

ഘാടഭിതഗ്രണം പ്രകിത്ര്യഹിഷ്ഠ്വവ

ദിഷ്ടം

ജ്ഞകിന്ദ്രങ്കൊവദ്രനം വജിക്കം

ക്ഷണം തെകാദ്ധം

ജ്ഞകിയദ്രങ്കനദ്രശ്ചകയഷ്ണ്വവഗ്ദ്ധം ഞ

ഹൃവിയം

ബന്ഗ്ഗകിഷ്യം ജ്ഞഹം കദ്രനഹിന്ദ്രദ്യം

യദ്രഗ്ദ്ധ്യം

ബന്ഗ്ഗടദ്രന്വ്യരക്കിദേവടിതി

ഷ്യം ഫിനെ

സൃവഷ്ടം തിന്ദ്രങ്കബണിശെദ്രടിക്കാന

ബന്തെപാദ്രലെ

സ്വർണ്ണകന്യകയിൽ ധർമ്മഭാ ശോഭി
ച്ചേറ്റം

മാറ്റുള്ള പൊന്ന ലോഹശേഷ
ത്തിൽ എന്ന പോലെ

മറ്റുള്ളയർത്ഥങ്ങളിൽ പ്ര
കാശിച്ചു

Suámiden bbhakdi nitiam manessil púndu
Dévam

Suámida gunam predì snéhicciu vannicci-
dum

Adinàl Déva dánam varddhikkum kcianam
tórrum

Adinàl nájaga ddharmmà varggam behu
biddham

Manà sciuddhium ahangàra hìnavum ddhár-
sztiam

Manà sciubbhà anuruttívm Déva bbhìdium
pinnè

Suvarnám tannil manì sciòbbhikkum enna
póle

Suvarnà kaniágheil ddharmabbhà sciòbbhi-
cciéttam

Màttullà pónna lóha scesżattil enna póle

Ma-

Mattullà ddharmmà anugà ganattil pragáſciccíu (1).

v. *Malabares quinetiam ſcripta ſua tradere conſueverunt foliis oblongis,* ഓല Ola *dictis ex Palma Indica, quae* പന Panà *vocatur, eaque exarant ope cuiuſdam ſtili ferrei, vel chalibei, qui* എഴുത്താണി Ezuttáni, *vel* നാരായം Nárájam *apud ipſos audit. Huiuſmodi graphium exſtat etiam inter peregrina Cimelia Bibliothecae huius noſtrae Congregationis ex dono Cl. Praeſulis Stephani Borgiae eiuſdem Congr. a Secretis. Nec caret Bibliotheca ipſa aliquot Voluminibus ex huiuſmodi foliis compactis, quos* ഗ്രന്ഥം Grantham *Malabares dicunt, & quorum ſex in ea adſervantur. In horum uno Chriſtiana Catechesis, & alia ad Religionem pertinentia*



---

(1) Ideſt: *Beata Virgo Maria Deum ſemper habens in mente, & propter ipſius bonitatem Dominum amabat, atque ipſi inſerviebat, ac adeo Dei gratia omni momento in Virgine augebatur, ac multiplici virtutum genere Domina replebatur: in ipſa elucebant puritas, humilitas, prudentia, caſtitas, virginitas, religio, ac pietas in Deum. Verum ſicuti univerſis metallis aurum puriſſimum ſupereminet, ac prae auro refulget lapis pretioſus, ſic inter omnia virtutum genera pretioſae Virginis magis enituit clementia, ac miſericordia.*

*tum soluta oratione, tum carmine exarata continentur; in altero Tractatus habetur ad Medicam artem spectans; in tertio prostant superstitiosae nonullae Orationes, quas* മന്ത്രം Mandram *Malabares vocant; in quarto paucula de rebus superstitiosis occurrunt, sicut & sortilegia, ac incantationes traduntur in quinto; ac demum in sexto Catechismus Christianus Missionis Malabaricae deprehenditur: ut nunc omittam* LVI. *alia folia huiusmodi ex dono laudati Cl. Praesulis in eamdem Bibliothecam inlata, quae sermones aliquot morales, atque in Christi passionem considerationes exhibent. Adest quinetiam fragmentum Poematis ab Anonymo in laudem Divi Alexii concinnatum, quod pariter hisce foliis ex Indica Palma excipitur. Ceterum Europei praesertim, qui in illis Regionibus degunt, charta communi utuntur, cui eorum scripta commendant, & ex qua dein Libros compingunt. Tale est Dictionarium Grandonico-Malabarico-Lusitanum in 4. inchoatum a Ioh. Ernesto Hanklendenio S. I., &, eo vita functo, perfectum ab Antonio Pimentelio Lusitano Archiepiscopo Cranganorensi. Aliud etiam Dictionarium Latino-Malabaricum in fol. nunc habet Bibliotheca ipsa ex dono Cl. Borgiae, cui eiusdem Auctor Peanius noster concesserat. Tertium etiam ibidem adservatur Lexicon Malabarico-Lusitanum, cui Grammaticae Institutiones adnectuntur, ex dono Peanii nostri. Exstat ibidem pariter Grammatica Lusitano-Mala-*

*ba-*

*barica Sinica charta conscripta, cui parvum Lexicon succedit, & altera Latino-Malabarica in 8., auctoribus anonymis. Adest pariter Catechismus Missionis Malabaricae in 8. elaboratus, atque conscriptus ab Angelo Francisco a Sancta Theresa Vigliottio Carmelita Excalceato Provinciae Pedemontanae, Episcopo Metelopolitano, ac in Serra Malabarum Vicario Apostolico. Tum Miscellaneorum parvum volumen in 4. habetur, in quo Catechismus parvus pro pueris, Sermo de Passione Domini, Carmen de iudicio universali, aliud de Deipara, & Alphabetum denique Malabarico-Tamulicum comprehenditur. Insuper ex dono Cl. Borgiae Bibliotheca nunc habet Synodum Diamperitanam in 8. vetustissimae Indorum Orientalis Ecclesiae ab Alexio De Menezesio Eremita Augustiniano, Archiep. Metropolita Goensi, & Indiarum Orientalium Primate celebratam ex auctoritate Clementis VIII. Pont. Maximi anno* CIↃIↃXCIX., *de qua infra dicemus; cui adnectitur methodus orandi per Laudosias, seu armillas precarias, quae rosaria, & coronae vulgo audiunt, tum brevis Catechismus, ac Vita Beati Andreae Apostoli. Accedit praeterea Commonitorium Pastorale, seu Conciliare, ac potius Diamperitanae Synodi explanatio, quam anno* CIↃIↃCVI. *concinnavit Franciscus Rozius Catalaunus S.I., qui Menezesii laborum, & vigiliarum consors, ac Syriacae Linguae interpres in celebratione laudatae Synodi exstitit, quique primum Episcopus Angamallensis, ac deinde Cranganorensis Archie-*

*piscopus designatus est. Nec omittendus venit Tractatus de VII. Ecclesiae Sacramentis in fol. exaratus manu Colanceri Matthai Cattenari, Sacerdotis Syri, qui auctorem habet Ioh. Bapt. Multedium Genuensem Carmelitam Excalceatum, Episcopum Limirensem, ac in Serra Malabarum Vicarium Apostolicum, quique ex laudati Peanii dono cessit Bibliothecae huiusce Congregationis, in qua nimirum Codices omnes, quos hactenus recensuimus, adservantur. Alii etiam huiusmodi Mss. Codices habentur in Bibliotheca Seminarii Missionum Apostolicarum apud Carmelitas Excalceatos ad Divi Pancratii extra Portam Aureliam: in qua scilicet exstat Grammatica Latino-Malabarica, atque Lexicon Lusitano-Malabarico-Latinum, auctore Stephano a S. Maria Carmelita Excalceato Veneto, ac in Indiis Orientalibus Missionario Apostolico; tum etiam Viridarium Orientale, in quo genuinae Herbarum, & Plantarum figurae graphice describuntur, ac earum natura, vires, ac proprietates accurate explicantur, auctore Matthaeo a S. Ioseppho Carmelita Excalceato Neapolitano, in Arabia, Perside, ac demum in Indiis Orientalibus Missionario Apostolico, qui etiam multam operam impendit in Horto Indico Malabarico, quem supra innuimus, ut Casearius Belga Ecclesiastes in Civitate Cocinensi fatetur (1), & ut etiam Henricus Van Rheedeius rursus ingerit (2). Quapropter Codices*

*hos*

(1) *In Praefat. Tom. I.* (2) *In Praefat. Tom. II.*

hos omnes nunc innuisse iuvabit, tum ut Sacrae Congregationis usibus, & opportunitatibus, si quando contigerit, patere facile possint, tum ut Appendicis loco esse etiam queant, si quando publicae luci affulgeat Bibliotheca Malabarica, quam ab anno CIƆIƆCCVIII. concinnaverat Bartholomaeus Ziegenbalgius, ut ex eius Epistola ad La Crozium data cognovimus (1), quamque dein La-Crozius (2) ipse Latine vertendam, atque etiam edendam Paullo Ernesto Iablonskio per litteras exhibuerat; quamquam nos facile deprehenderimus saepe in hoc lapsos Ziegenbalgium, & La-Crozium, ut litteras, & cetera Tamulica nobis pro Malabaricis obtruderint.

VI. Nunc id reliquum esset, ut de Malabaricae gentis religione, moribus, regione, ceterisque aliqua praefaremur, ut quo loci Alphabetum hoc nostrum in usu sit, clarius innotesceret. Sed qui pro dignitate id faciat, qui tam angustis continetur limitibus? Quare saltem id cursim, & leviter, ut nobis nunc licet, perficiemus. Malabaribus quidem primarium Numen est പരബ്രഹ്മം Parabrahmam, cui subsequuntur tercenta triginta duo decies centena millia Semideorum, quos ദേവകൾ Déva-

 ghel

(1) Cit. Thesaur. Epistolic. La-Crozian. Tom. I. Epist. 319. pag. 381., & seqq.

(2) Ibid. Tom. III. Epist. 90. pag. 170.

ghel *dicunt, quibusque pro Rege, & Principe adest Numen alterum, quod* ഇന്ദ്രൻ Indren, *seu* ദേവിന്ദ്രൻ Devindren *appellant. Communis est praeterea universis ferme Indorum Populis, ut docet Vir Cl. Augustinus Antonius Georgius Eremitarum Augustinensium decus, & ornamentum in suo* Alphabeto Tibetano (1), *Trinitas quaedam Deorum* തൃമൂർത്തികൾ Trimúrttighel *a Malabaribus nuncupata, quae quidem sit illis veluti Religionis fundamentum praecipuum. Brammhanis enim erat femina quaedam* परासक्ती Parasakti, *quae* പരാശക്തി Parasciakti *audit & apud Malabares, idest prima quaedam potentia excellentissima, & sublimissima, ex qua tres filii prodierunt, quorum primus* ब्राम्हा Bramha *apud Indostanos,* ബ്രമ്മാവ Branmáva, *vel* ബ്രഹ്മാവ Brahmáva *apud Malabares dicitur, secundus* वीस्नू Viscnù *a primis,*

(1) *Part. I. §. LI. pag. 97., tum §. LII. pag. 99.*

വിഷ്ണു Visznu, ഹരി Hari, *vel* നാരായണൻ Nárájanen *ab alteris salutatur*, *ac tertius tandem*, *quem illi* इस्वरेन Isuoren, *seu* इस्वर Isuor *appellant*, *hi vero* രുദ്രൻ Rudren, ശിവൻ Sciven, മഹേശ്വരൻ Mahésuaren, *seu* പരമേശ്വരൻ Paramésuaren *etiam nominant*. *Varia dein his potestas a Matre tradita*, *& variae horum proprietates praedicantur*, *inter quas praecipuae sunt* സൃഷ്ടി srusti, സ്ഥിതി sthidi, സംഹാരം samugáram, *nempe* creare, gubernare, & destruere, *quaeque a Georgio nostro ibidem*, *ab Auctore Dissertationis* De Diis Indorum Orientalium, *a Buchetio in Epistola ad Huetium*, *a La-Crozio in Libro* De Christ. Ind., *ac tandem a Ioh. Francisco Pivatio in novo eius Dictionario* (1) *ample exponuntur*. *Insuper Pivatius ope decem aenea-*

(1) *Nuovo Dizionario scientifico*, *e curioso sacro profano*. *In Venezia* 1749. *per Benedetto Milocco pag.* 117. *ad pag.* 160.

*aenearum Tabularum exhibet tantumdem metamorphoses Idoli* விஷ்ணு Viſznù, *quae etiam cerni poſſunt mire expreſſae a Conſtantino Aſculano Capuccinorum Alumno in Nepalenſi illo Codice ex charta radicis arboreae, qui exſtat in Bibliotheca Collegii Urbani, & cuius nos meminimus in Praefatione ad Alphabetum Brammhanicum* (1)*; quemadmodum haec ipſa luculenter explanavit, ac confixit Ioh. Taddaeus a S. Birgitta Carmelita Excalceatus in eius Ms. Codice, qui in Archivo Fratrum Ordinis ſui ad Divae Mariae de Scala adſervatur. Ziegenbalgius quinetiam in ſuis ad La-Crozium litteris, quas ſupra citavimus, provocat ad* Delineationem Ethnicismi Malabarici, *& ad* Genealogiam Deorum Malabaricorum, *quam ſe concinnaſſe affirmat; ſed Opera haec adhuc inedita ſunt, ut ipſe teſtatur* (2), *& ut nos etiam adhuc ſuſpicamur. Verum Chriſtiana Religio non nova, nec peregrina prorſus eſt illis in Regionibus, quin potius iamdiu floret; Teſtis enim eſt Coſmas Indopleuſtes, ut ex eius loco ſuperius adducto pateſcit, Saeculo* VI. *a Chriſto nato, ibidem veri Dei cultum obtinuiſſe. Tum celebres ſunt Chriſtiani illi, qui Sancti Thomae dicuntur, quique ſe eius diſcipulos gloriantur, licet id dubia, & incerta ſaltem traditione nitatur. Ceterum La-*

*Cro-*

(1) *§.* VI. *pag.* XVIII.
(2) *Tom. I. n. 319. pag. 381., & ſeqq.*

*Crozius* (1) *ad Bayerium scribens in ea est opinione, ut censeat, horum Christianorum originem in fine Saeculi* III. *esse statuendam. Ast vero, cui Thomae, an Christi Apostolo, qui in India fuerit, Maliapure degerit, ibique Christi Religionem stabiliverit, an Thomae Manetis discipulo, qui in Indiam venisse dicitur missus a Manete ipso circa ann.* CCLXXVII., *an Thomae altero Cannae, seu Mar-Thomae, mercatore Christiano Armeno, qui, imperante* ചേരപെരുമാൾ Cerà-Perumàl, *Rege nempe universae Malabaricae Ditionis circa ann.* DCLXXIV., *Indiam petiit, & cum admodum dives esset, Christianis Malabaricis multa beneficia impertivit, multaque illis a Rege privilegia obtinuit, ipsius Christianae Religionis apud Indos origo, & propagatio adscribenda sit, dubium sane est, & incertum. Historiam vero Malabarice scriptam de Divo Apostolo Thoma ex Ziegenbalgio memomorat Theophilus Sigefridus Bayerius in Epistola ad La-Crozium* (2). *Tum Ziegenbalgius ipse* (3) *laudato La-Crozio ingerit suam de Christianis S. Thomae prolixam epistolam Tranquebaria ad Ministerium Berolinense missam. Ceterum La-Crozium Librum* de S. Thomae Christianis *elaboravit, quem memorat Bayerius, quemque elegantissimum vo-*

(1) *Tom.* III. *n.* 32. *p.* 62. (2) *Tom.* I *n.* 15. *p.* 24.
(3) *Ibid. cit. Epist.* 319. *pag.* 381., & *seqq.*

*vocat* (1). *Ast in tanta rerum incertitudine prudentius se gerere mihi videtur laudatus Bayerius, dum ait* (2): De S. Thoma, quis omnino sit, vehementer ambigo. Nam Apostolum non credam fuisse, quaedam videntur prohibere: ut negem, nulla satis iubet argumentatio. *Quod vero certum haberi debet, illud est, ex antiquis traditionibus notum esse, Christianos Syriacos in littore Montano, seu Malcibarico per longam saeculorum seriem suos Episcopos semper ex Babylonia habuisse. Tum in Concilio Nicaeno sub Constantino M. celebrato ann.* CCCXXV. *mentio fit Indiae magnae, nec ob aliam sane caussam, quam propter Christianos in ea tunc commorantes. Insuper veteres eorum Historiae Syriace scriptae, & illis in Regionibus inventae anno* CIↃIↃXCIX. *testantur, referente Antonio Gowea, qui* Itinerarium *scripsit* Alexii Menezesii in Montibus Angamalitanis in ora Malabarica, *Malabarensem Eiscopum duos olim habuisse Suffraganeos, qui eidem, tamquam Metropolitae suberant, Episcopum scilicet Zocotorae, sive Dioscoridis Insulae, & Episcopum Masin in Oriente. Ast Christiana Religio firmius in Indicis oris constabilita, amplificata, & ab erroribus expurgata fuit anno, quem supra dixi,* CIↃIↃXCIX., *in quo nimirum Alexius Menezesius olim Eremita Augustinianus, dein Goensis Archiepiscopus Synodum*

---

(1) *Ibid. Epist.* 40. *p.* 53. (2) *Ibid. Epist.* 36. *p.* 49.

dum in Urbe Malabarensi Diamper celebravit, qua sane multos, qui irrepserant, & late serpebant, Nestorianismi, & Manicheismi errores confodit, atque profligavit. Synodus haec ipsa, quam nos supra Malabarice scriptam designavimus, in Lusitanum idioma, & ex eo in Latinum conversa, edita est Romae anno CIↃIↃCCXLV. Hieronymi Mainardii typis a Ioh. Facundo Raulinio Caesaraugustano, qui iam fuerat Eremitarum Augustinensium Magister Generalis, ac simul Historiam Ecclesiae Malabaricae, eiusdemque Liturgiam, ac Dissertationes varias insuper addidit. Hunc Librum consulat, qui pleniora desiderat. Nec leve incrementum Christianae Religioni factum in Indicis Malabarensium plagis post Apostolicos Ministros illuc primum ab Alexandro VII. Pont. Max. ablegatos ex Carmelitarum Excalceatorum Familia, quorum agmen duxit Iosephus M. Sebastianius, qui renunciatus Episcopus Hieropolitanus illic Episcopum ordinavit Indicum Presbyterum, nomine Alexandrum de Campo, quique Romam repetens missus est ad Aegei Maris Insulas, dein Episcopus Bisignanensis inter Calabros renunciatus, ac tandem ad Tiphernatem Ecclesiam in Umbria translatus est. Eius in Malabarenses Regiones delegationis Historiam Italice scripsit, quae Romanis typis dein excusa est anno CIↃIↃCLVI. Si de Missionum Apostolicarum statu aliis in Regionibus conterminis Indorum cognoscere quis velit, adeat Relationem Provinciae Malabarensis Francisci Barretii excusam anno CIↃIↃCXLV., & in qua plures quoque chorographicas eru-

*eruditiones percipere facile erit. Ceterum hac in re consuli etiam poterit Philippus Baldius in Descriptione Malabari, & Coromandelii, ut alios nunc omittamus, qui haec obiter attigerunt.*

*VII. Haec sunt, quae de Alphabeto Grandonico-Malabarico, seu Samscrudonico, tum de ceteris, quae ad ipsum pertinere visa sunt, praefari nobis nunc libuit. Faxit Deus, qui iamdiu videt, ac sustinet in Aquilone, & in Oriente admirandi nominis sui abominationem, & caelestis, vivificaeque doctrinae suae depravationem, & inscitiam, ut vel ab hisce levioribus primordiis, quorum dein ope etiam maioribus, utilioribusque incoeptis velificari enitimur, tantum & adiumenti, & commodi in Evangelicae veritatis Praecones, qui ab Apostolica Sede illuc ablegantur, derivetur, quo maiori, aliqua saltem ex parte, Christianae Fidei incremento per hoc ipsum consulatur. Prela siquidem nostra quamcitissime exspectant Christianum Catechismum in hoc ipsum idioma a Peanio nostro conversum, quo duce, & auspice per vastissimas illas Orientis plagas sincera, & intemerata Orthodoxae Religionis dogmata, & Christi mysteria, confractis tandem Idolis, devictis efficaci, suavique Christi gratia insipientibus cordibus Paganorum, eliminatisque superstitionis, & gentium ritibus, longe, lateque disseminentur. Qui legis, vivas, valeas, floreas feliciter.*

# ALPHABETUM
## GRANDONICO - MALABARICUM
*SIVE*
## SAMSCRUDONICUM.

### *PROLOGUS.*

I. CUM Purpuratorum Patrum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide cura, atque ſollicitudo plane Apoſtolica in Chriſtianorum utilitatem, ex quibus populoſa coaleſcit Malabarenſis Eccleſia, in eo etiam fuerit, ut publica luce donaretur ſuis expreſſa elementis, ac formis recenti, deditaque opera elaboratis Malabarica Lingua, atque ea quidem typis, & impenſis Sacrae eiuſdem Congregationis; par, & aequum ſane fuit, ut de eius elementis, litteriſque aliqua a nobis proferentur; tum ex quibus ipſa promanet fontibus, quibuſque inſuper ſaltem primioribus utatur regulis, etiam a nobis proderetur. Exſpectanda autem non erit a benevolo Lectore effuſa, numeriſque omni-

bus absoluta explanatio, quae a nobis nunc tradatur; quandoquidem praestitutos limites facile praetergrederemur, cum Grammaticales regulas haud nunc proponendas susceperimus, sed prima tantum rudimenta, eaque brevi, expeditaque methodo exponere nobis mens sit.

II. Quare ut clariori, qua fieri potest, ratione incedatur, in ipso sermonis exordio non incongruum admonere putamus, quod & ab Eduardo Bernardio in suis Alphabetis, a Bayerio in *Comment. Academ. Petropolit.* Tom. IV. pag. 243., & ab aliis, quos prae manibus habere licuit, haud animadversum deprehendimus, Malabaricam scilicet Linguam, confusam, indistinctamque penes eosdem Auctores, semper exstitisse; quasi idem prorsus esset Idioma Malabaricum, atque Tamulicum; quo sane nihil absurdius hac in re comminisci potest. Asserere enim, Tamulicam Linguam Malabaricam esse, aut Malabaricam esse Tamulicam, idem prorsus esset, ac si Gallicam diceres, & Italicam Linguam invicem non differre. Licet autem utriusque Linguae, Malabaricae, & Tamulicae radices communes sint; scriptura tamen, modus pronuciandi, expressio ipsa verborum, diversa litterarum conformatio in externis rebus significandis, & elementorum denique numerus in Malabarica maior, ac in Tamulica

lica minor ostendunt sine dubio, quam ingens in utraque diversitas habeatur.

III. Quod si Auctores eruditione, ac litterarum fama ceteroquin praestantes Tamulicam, & Malabaricam in unam veluti redigunt linguam, easdemque confusas nobis exhibent, non ab alia certe repeti caussa potest, quam ab inscitia Idiomatum, litterarumque, quibus utuntur populi contermini, qui in littore Coromandelino, ac Malabarico commorantur. Mirandum propterea non est, Cl. Virum Bartholomaeum Ziegenbalgium splendide hac in re fuisse allucinatum; videns enim ipse aliquot scripturae Malabaricae specimina typis expressa in ingenti Opere Horti Indici-Malabarici, quod sex maioribus Voluminibus Amstelodami anno CIↃIↃCLXXIX. prodiit, ipsa censuit esse Tamulica, ratus, *adeo discrepare a genuina characterum Malabaricorum forma, ut ipsis etiam Indis ignota sint*, ut nimirum ait in Praefatione ad Grammaticam Tamulicam Halae Saxonum ab ipso editam anno CIↃIↃCCXVI., cum tamen ea, quae in Horto Indico-Malabarico inspiciuntur Malabaricae scripturae specimina sint optime expressa, ac peritis nativae illius linguae elementorum lectu facillima. His necessario praelibatis, apteque perpensis, in Malabaricae Linguae explicationem progredimur.

IV. Gens itaque Malabarica tribus utitur Linguis; Grandonica, Samſcrudonica, ac vulgari Malabarica. Grandonica Lingua, quae ab Indis ഗ്രന്ഥം *Grantham* appellari ſolet, eſt vetuſtiſſima Indorum lingua, Brammhanibus ſacra. Brammhanes enim, qui divinam originem a ബ്രഹ്മാവു *Branmáva* ſupremo Deo ſibi arrogant, tribuuntque; ſummam perinde nobilitatem, & ſacrorum auſpiciorum praerogativam, docendique itidem alios, quod verum, iuſtumque ſit, auctoritatem ſibi vindicant; quamvis nativa propriae regionis lingua loquantur ut plurimum. In iis tamen, quae propius ſacra eorumdem attingunt, ജപഹോമദേവാരം *Giavá Hóma devâram*, preces videlicet, ritus, caeremonias, ſacrificia, aliaque huiuſmodi, non vulgari, ſed Grandonica Lingua conſtanter utuntur. Hanc ſine dubio ceterarum, quae intra Gangem ſunt, linguarum matrem facile dixerim; neque immerito in hac ſententia fuerunt omnes, quotquot de rebus Indicis egerunt; quos inter Chriſtophorus Theodoſius Walterius Danus in adnotationibus in Idioma vulgare Linguae Tamulicae impreſſis Trangambariae

in

in Indiis Orientalibus anno CIↃIↃCCXXXIX., & Vir Cl. Bartholomaeus Ziegenbalgius, qui de Brammhanibus, ac de ipsorum lingua verissime pronunciavit: *Brammhanum Linguae propriae nomen est Grantham, neque a Brammhanibus ipsis umquam aliter vocatur. Affirmant autem Brammhani ipsorum linguam esse radicem Malabaricae, Warticae, seu Telugicae, Ziglesicae, aliarumque, quae in littore Coromandelino, ac Malabarico, necnon in Insula Ceylan, aliisque locis in usu sunt, linguarum.* Vid. Tom. I. pag. 381. *Thesauri Epist. Lacroziani*. Verum & haec attigisse sufficiat.

v. De Samscrudonica Lingua modo subiungenda sunt aliqua; monitumque imprimis volumus benevolum Lectorem nostrum, diversimode ab Auctoribus eamdem fuisse hactenus falso nominatam: Athanasius Kircherius *in Cina illustrata*, *Hanscret*; Thomas Hydius *in Ludis Orientalibus*, *Sanscroot*; Andreas Mullerius *in Alphabetis Universi*, *Hanscreticam*; Eduardus Bernardius, ac Carolus Mortonius *Hanscretanam* vocarunt; neque ullus, quod sciam, exstitit usque modo, qui Samscrudonicas dederit litteras; sed earum loco Brammhanicas, Balabandicas, Telugicas, aut alterius generis Linguas nobis tradidere. Nil aliud itaque sonat സംസ്കൃതം *Samscrudam*, quam res suo ordine bene completa, ac numeris omnibus, ut dicunt, absoluta;

apteque proinde Grandonica voce ſapientum linguam സംസ്കൃതം *Samſcrudam* appellare conſueverunt. Hanc vero apud Indos antiquiſſimam eſſe, & Brammhanibus ſacram, teſtis eſt luculentus Croſacius *in Hiſtoria Chriſtianorum Indiae* Lib. VI. pag. 242., ac facile quiſque intelliget, qui noverit hac lingua conſcriptam eſſe vetuſtiſſimam Indorum legem, ſeu potius leges, cum tres ipſi enumerent, quas ഋക്സാമയജുർവേദം *Iruchà Sáma Jagiùr bédam* vocare conſueverunt.

§ VI. Samſcrudonicam Linguam Grandonicae matrem, atque radicem eſſe putarat Theophilus Sigefridus Bayerius Regiomontanus, qui videndus eſt *in Comment. Academ. Petropol.* Tom. IV. pag. 243. Verum iudicio noſtro malumus Samſcrudonicam dicere a Grandonica ferme indiſtinctam, quam hanc iniuriam Linguae impingere, quae ab omnibus, tamquam mater veneratur, & eſt. Noſtra autem ratio haec plane eſt. Ubi vocabula eadem ſunt, litterae ferme eaedem, ſignificationes in litteris, & verbis concluſae haud diverſae, ibi certe unica tantum haberi lingua videtur. Haec autem omnia deprehenduntur in Grandonica, atque Samſcrudonica Lingua,

gua, ubi iisdem vocibus eadem ferme res significatur; ex. gr. വ്യാഘ്രം *Viággram* tum Grandonice, tum Samscrudonice Tigrim significat; ബ്രക്ഷം *Brakciam* arborem; അൎണവം *Arnavam* Mare in utroque Idiomate denotat, & sic de ceteris.

